

**Dissertatio medica inauguralis de hepatide acuta ... / eruditorum examini
subjicit Thomas Gouthwaite.**

Contributors

Gouthwaite, Thomas, 1802?-1875.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nr2y3jxf>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HEPATITIDE ACUTA.

ПЕЧАТЬ

ДИСАН ОГЛАШЕНІЯ

ЗАКЛЮЧЕНИЯ

ДО СУДА ПОДІЛЯННЯ

(8.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HEPATITIDE ACUTA:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS GOUTHWAITE,

ANGLUS.

The liver is the lazaret of bile,
But very rarely executes its function,
For the first *ailment* stays there such a while,
That all the rest creep in and form a junction,
Like knots of vipers on a dunghill's soil.

BYRON.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR,

MDCCCXXV.

DISSEMINATIO MEDICAY

ANARCHIA

xx

HEPATITIDE ACUTA:

1650

DISSEMINATIO MEDICAY

ANARCHIA

DE GEORGE HARRIS FER

DISSEMINATIO MEDICAY

ANARCHIA

FRATRIBUS suis DILECTIS,
AMORIS GRATIQUE ANIMI
TESTIMONIUM,
PEREXIGUE QUIDEM SED SINCERUM,
HAS PAGINAS ACADEMICAS,
STUDIORUM PRIMITIAS,
DAT, DEDICATQUE
FRATER.

ALLEGORICAL SUGGESTION

BY JAMES RUSSELL LOWELL

PHILADELPHIA:

JOHN C. CONNELL, 1855.

PRINTED FOR THE AUTHOR BY

CHARLES WHITNEY,

BOSTON.

1855.

VIRO SPECTATISSIMO

ET

IM MEDENDI ARTE PERITISSIMO,

JOSEPHO BRANDRETH,

CHIRURGO, LIVERPOLIENSIS;

SUMMAE EXIMIAEQUE CURAE

QUAE SCIENTIA ARTIS CHIRURGICAE ANIMUM IMBUIT,

MEMOR,

HOCCE OPUSCULUM,

PERTENUE OBSERVANTIAE INDICUM,

ANIMO GRATISSIMO,

D. D. D. QUE

DISCIPULUS

AUCTOR.

ОБРАЗОВАНИЯ ОКИ

ТА

ПОДГОТОВЛЕНЫ АВТОРУ ПРИЧЕМЪ

И ТЯСИАНИИ ОНЧАЮЛ

УЧИТЕЛЬСКАЯ ФОРМА

КАКЪ ИЗДАНИЯ ТАКЪ

ДОСТИЖЕНИЯ ВЪ МАТЕМАТИКѢ СЕГДА НЕДОРОГИ

СОВЪРШЕНЫ

СОВЪРШЕНЫ РАЗОД

ДОБРОДѢЯТЕЛЬНОГО ЧИТАТЕЛЯ

ОБРАЗОВАНИЯ ОКИ

1830. О. О. 4

БУДИЩИЕ

МОТОДА

D. Woodford with the
Compliments of the Author

DISSE^TRAT^IO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE ACUTA.

AUCTORE THOMA GOUTHWAITE.

HISTORIA MORBI.

MULTI fuerunt, tum antiquis tum nostris temporibus medici, qui ad jecur ipsum malaque quibus objectum est, animi attentionem summam contulerunt; nec quia recentiorum experientiâ et studio altius investigatum est, eorum praecepta spernenda sunt, qui primi, quatenus facultas fuit, quanti valeat hoc viscus in compage humanâ, quos secernat succos, et qualis sit ejus structura et functiones, docuerunt.

Uno ore et GALENUS et HIPPOCRATES, multos, ex morbis quibus corpus humanum subjici-

A

tur, aut abundante, aut deficiente bile, aut etiam ipsius jecoris affectibus, oriri consentiunt; neque in hoc ab antiqui temporis doctis recentiores discrepant medici, quippe qui, si modo aegra sit haec systematis pars, quae caeteris tam dissimilis, et in functionibus et in sanguinis circuitu quam iis arcte conjuncta existit, plurimas in corpus infirmitates irrepere, nec obscurò demonstrent.

Neque hoc maximè mirandum videbitur, si vel, functiones hujus visceris in bile secernendâ momentosas, quae concoctioni cibi ad jacturam et dispendium corporis quotidianum reparandum necessarii inservit, vel sedem jecinoris, quod ad plurima magnique momenti viscera cum illo conjuncta attinet, respiciamus.

Quinetiam, consensus jecur inter et viscera circumstantia tantus est, ut, si quando quodvis eorum morbo corripitur, caetera quoque affectus istius plus minus participes fiant. His, igitur, ritè perpensis, facile constabit, nullum hepatis morbum accidere posse, quin aeger

valdè periclitetur; et, nisi tales laesiones remediis idoneis superentur, quod (dicere piget) rarò occurrit, exitum lethalem procul dubio esse accessurum.

Ex morbis verò diversis, qui hoc viscus invadere solent, Hepatitidem, de quâ in hâc Dissertatione agatur, selegi, quippe quae, etsi sub nostro coelo non saepissimè sese ostendit, nihilominus, quum profectò accidit, morbus sit valdè periculosus; qui porrò, ut ad sanitatem redeatur, peritiam et attentionem medici summam postulat.

Hic morbus plerumque in duas specias acutam, scilicet, et chronicam, divisus est; *acuta* notas insignes inflammationis verae ostendit; *chronica* symptomata manifestat vehementiae, quod ad naturam inflammatoriam attinet, minoris, eamque praeterè jecur ampliatum et induratum, dolorque obtusus, comitantur.

Harum speciem acutam praecipue animadvertis, quae his verbis a celeberrimo CULLENO

definitur: “ Pyrexia ; hypochondrii dextri
 “ tensio et dolor, saepe pungens, pleuritici in-
 “ star, saepius obtusus ; dolor ad claviculam
 “ et summum humeri dextri ; decubitus in la-
 “ tus sinistrum difficilis ; dyspnoea ; tussis
 “ sicca ; vomitus, singultus.”

Sedes hujus morbi plerumque in peritonaeo
 jecur obtegente reperitur ; signa saepissimè
 bene notata sunt ; et, quoniam vehementia
 sunt, et in regionibus calidis frequenter, etiam-
 que in frigidis interdum observantur, animi
 attentionem optimo jure sibi vindicant.

DE INDICIIS.

PRIMA signa, quae Hepatitidis accessum
 indicant, saepe iis simillima sunt, quae alias
 morbos febrem habentes praegrediuntur, om-
 nia, scilicet, Pyrexiae indicia solita. Plerum-
 que a languore, lassitudine, rigoribus, seu fri-
 gore et calore invicem alternantibus, calore
 aucto subsequente, incipit. Pulsus validus,

durus, et frequens est, saepe a 90 ad 120 ictus in horae minuto varians, haec autem symptomata plūs minūs vehementia per morbi decursum conspicuntur. Quoniam, vero, haec cunctis inflammationibus communia sunt, primo dubium est quidnam viscus p̄ae caeteris afficiatur; minimē autem diu hoc in medio pendet; citò, enim, post haec generalia indicia, topica se in apertum produnt. Aegrotus nau-seâ et interdum vomitu laborat; praeterè dolore torquetur in hypochondrio dextro, aliquando adeo acuto ut pleuriticum referat, porrò pressurâ multūm aucto; respiratio molestâ et difficilis comitatur. In aliis exemplis dolor magis obtusus est, cum sensu plenitudinis et tensionis in regione hepaticâ. Haec discrimina gradūs et vehementiae doloris, e superficie affectâ pendent, ut postea pleniùs ostendere conabor. Summum humeri dextri et clavicula dolore acuto plectuntur, qui non usque perstat, sed nonnunquam sese intermittit, et per intervalla certa redit, itemque a consensu nexuque arcto nervum phrenicum inter, et plexum axillarem intercedente oriri putatur.

Sensus quoque tensionis, ponderis, et plenitudinis, in hypochondrio dextro adest; aeger, nisi magno cum dolore et difficultate, in latus sinistrum decumbere nequit. Alvus plerumque astricta est, faecesque albae, durae, et non foetidae; quod bilem in duodenum copiâ nimis parvâ trajici demonstrat. Aeger singultu frequente et molesto angitur, tussique siccâ, quae interdum circa finem madida et purulenta evadit. Urina colore alto, parca, et quasi bile tincta, redditur. Lingua foeda est, et crusta albida obtegitur. Cutis arida, calida. Sitis magna cum cibi appetitûs defectu, gustuque oris saepe insuavi et amaro. Oculi nitorem suum amittunt, et, pariter ac cutis, flavescent, praesertim cum calculi in jecoris parenchymate inflammationem efficiunt. Haec autem signa omnia pro parte Hepatis affectâ variant. Si malum in superficie convexâ sedem habet, dolor multo acutior est, et ad summum humeri dextri nonnunquam etiam sinistri tendit. Respiratio difficillima et dolens; pulsus celerior; singultus molestior et constans; tussis sicca.

Quum substantia sive parenchyma jecinoris malo sedem praebet, quod in Hepatitide chronicâ accidit, dolor magis obtusus sentitur, et pressurâ vel cibo in ventriculum ingestu, vel decubitu in latus sinistrum augetur. Sensus ponderis et plenitudinis in regione epigastricâ, et hypochondrio dextro, magnâ anxietate multisque dyspepsiae signis comitantibus, major adest; pulsusque frequens et debilis existit.

Si superficies concava morbo corripitur, functiones animales praecipue turbantur; symptomata usitatissima sunt nausea et vomitus, aliaque dyspepsiae indicia. Alvis ferè asstricta; faeces albidae sunt; et interdum diarrhoea biliosa aegrum vexat, dum functiones vitales parum impediuntur.

Saepe difficile est Hepatitidem Chronicam adesse pro explorato habere; attamen quibusdam notis sedulò et accurate perspectis, hanc adesse saltem suspicari medicus potest. In Hepatitide vetustâ parenchyma jecoris afficitur; pyrexia levior est; dolor in epigastrio,

hypochondrio, et humero dextro obtusior; et postremò, nisi pressurâ admotâ, vix omnino percipi queat. Torpor humeri cum sensu ponderis, dolor hypochondrii pressurâ, vel post cibum, vel decubitu in latus sinistrum, augetur. Sensus est ponderis et plenitudinis cum magna anxietate. Debilitas generalis cum plerisque dyspepsiae indiciis comitatur. Alvus adstricta est; faeces albidae; urina alti coloris sedimentum rubrum deponens; facies lurida; lingua alba; pulsus creber et debilis; respiratio difficilis; praeterea aegrotus saepe valde iracundus et morosus observatur. Si, rebus sic se habentibus, aeger causis Hepatitidis excitantibus objectus fuerit, natura morbi illius quadam ex parte certè pro comperto haber potest.

DE FINIBUS HEPATITIDIS ACUTAE.

INFLAMMATIO jecoris Acuta, pariter ac ceterae generis istius, vel in resolutionem, vel in suppurationem vel adhaesionem; raro in gan-

graenam, saepe tamen in speciem morbi ejusdem vetustam desinere queat.

Ex his finibus, resolutio profectò optatissimus existit; eâ enim inductâ, sequelas suppurationis verisimilitè periculosas futuras evitamus.

Resolutio modis diversis accidere potest; visclicet naturae medicatrice, veluti epistaxi, vel ex intestinis sanguinis profluvio; sudore copioso; vel diarrhoeâ biliosâ; beneficium quoque haud parvum excretione e pulmonibus auctâ, vel urinae turbidae profluvio acceptum est. Nulla autem excretio utilior est, vel saepius occurrit, quam materiae biliosae vel perspiratio vel per anum ejectio; sic enim vasa hepatis sanguifera multùm deplentur, ideoque vehementia inflammationis haud parùm minuitur.

Si symptomata per dies aliquot, vehementiâ non levatâ, etsi naturae conamina et remedia idonea adversentur, perstant, morbus ferè

in suppurationem, at raro ante diem sextum vel septimum desinit.

Signa, quae suppurationem adesse monstrant, talia sunt; dolor minutus, obtusus, et remittens; sensus ponderis; anxietas magna; facies rubefacta; sudores nocturni; rigores cum magno calore alternantes; pulsus mollior et tardior. Febris hectica, pure absorpto, supervenit; magna est debilitas, maciesque; interdum quoque tumor fluctuans tactu percipitur.

Pus in his abscessibus formatum modis diversis, pro parte jecinoris occupatâ, adhaesionibusque quae jecur inter et viscera circumjacentia intercedunt, eliminari queat.

Si hepar diaphragmati adhaereat, et hic musculus erodatur, pus ferè in cavum thoracis effunditur; et si praeterea pulmo diaphragmati annectatur, pus in cellulas aëris pulmonum transire, et exinde tussi expectorari potest.

Quum jecur ventriculo, vesiculae fellis, duodenō, vel colo adhaeret, vel per vomitum vel per alvi dejectionem pus ejici potest.

Per adhaesionem hujus visceris cum musculis qui inter costas jacent foras etiam effundi; pus denique in cavum abdominis, vel in venam cavam, transmitti potest.

Effusio aut in cavum thoracis, aut in abdomen, aut in venam cavam, semper aegro lethum affert; vel hecticā febre lethali, vel sanguinis profluvio mortifero inducto.

Pus a jecinore in hoc malo effusum a pure sano discrepat, quatenus acre, flavum et bile commistum est.

Gangraena Hepatitidis Acutae finis est valde rara, siquando, vero, accidit, signis solitis gangraenae indicatur, dolore scilicet, et inflammatione subito cessantibus; pulsu celeri, debili et deficiente; facie livida et cadaverosa;

singultu continuo; partibusque corporis extremis frigescientibus.

In Chronicam Hepatitidem saepe desinit acuta, et hic finis signis supradictis cognoscatur.

Fines hujus mali speciei vetustae frequen-
tissimi sunt, ulceratio, induratio, vel scirrus;
postremus, autem, raro nisi in regionibus cali-
dis, ubi aeger liquoribus meracioribus nimis
deditus est, occurrit.

QUAE APPARENT SECTO CADAVERE.

CADAVERE aperto, plerumque adhaesionem cum partibus vicinis formatam, densationem praeter naturam peritonaei jecur obtegentis, ejusque vasorum ruborem, conspicimus. In exemplis nonnullis, hepar totum vel partem ejus induratam invenimus, quod nonnunquam multum ampliatur, aliquando tamen mirum in modum minuitur. Tubercula et hydatides,

itemque abscessus magni aliquot libras humoris continentis saepe reperti sunt.

Non ita diu abhinc, mihi copia fuit, dissectionem hominis videndi, qui jecinoris abscessibus perierat, ubi talia conspicienda occurrerunt. Adhaesiones validissimae jecur inter et diaphragma, itemque circiter viginti abscessus a se invicem distincti in substantiâ hepatis, quorum maximus duo fere pollices in longitudinem, unum in latitudinem, caeteri unum ferè pollicem in diametrum erant, apparuerunt. In lobo quoque dextro copia haud parva sanguinis effusi cum pure commisti, adhaesionesque validae inter utrasque pleuras lateris sinistri observatae sunt; reliqua viscera in statu sano esse videbantur. Morbus hujus a plagâ in regionem hepaticam vehementer in tumultu aliquamdiu ante mortem illatâ ortus fuisse putatur.

Praeter haec symptomata morbosa jecoris, hoc ipsum in statu scirrhoso inventum est, et

adeo mole aductum, ut ferè librarum octodecim pondus praebuerit *.

In India Orientali et Occidentali saepe, in Europa rariùs, hepatis induratio, et magnitudinis diminutio observatae sunt. Hoc fortasse ex his pendet, quod Hepatitis Indiae saepe congestionem inflammatoriam et obstructionem potius participat, ideoque ad formam vetustam sibi sumendam proclivior est; contrà vero in Europâ, inflammatio ardentior est, igiturque, nisi cito sistatur, ad suppurationem facilius percurrit.

Concretiones biliares in parenchymate et vesiculâ fellis nonnunquam observantur.

DE RATIONE SIGNORUM.

DOLOR et tensio Hypochondrii dextri.—Quoniam lobus jecinoris dexter multo major est, et, quam sinister vasis sanguiferis nervisque

* Dr GREGORY.

instructior; facile rationem doloris et tensionis in ea regione saevioris reddere possumus.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri.—A nexu arcto qui viscus inflammatum inter et diaphragma intercedit, inflammatio cito ad superficiem peritonaealem diaphragmatis serpit, nervumque phrenicum vehementer irritat, qui consensum arctissimum cum plexu axillari habet, et huic consensui signum supradictum referendum est.

Decubitus in latus sinistrum difficilis.—Hoc indicium a ligamentis jecinoris suspensoriis inflammatis et tensis oriri potest; corporis enim tali situ, pondus hepatis, hoc ad id latus naturaliter detrahet.

Respiratio difficilis.—Magna diaphragmatis irritatio, acutâ ejus tunicae peritonaealis inflammatione orta, illius actionem liberam impedit, doloremque auget; quinetiam ampliatio jecoris morbosa, quae saepe in hoc morbo accidit, liberum diaphragmatis descensum prohibere potest.

Vomitus.—Hoc symptoma a consensu inter nervos jecinoris et ventriculi fortasse pendet. Ab Hepate quoque ampliato et pylorum adeo comprimente, ut cibus nimis diu in ventriculo retineatur, vomitu ita excitato, oriri queat.

DIAGNOSIS.

HEPATITIS Acuta cum Pneumoniâ, Enteritide, Gastritide, Rheumatismo muscularum Hepati vicinorum, et Ictero calculoso, confundi potest; sin symptomata cuivis illorum morborum propria accuratè animadvertisimus, proximum est, ut discriben facilè percipiamus inter Hepatis inflammationem et mala supra memorata.

Pneumonia.—Signis sequentibus Hepatitis a Pneumoniâ distinguimus. In illâ dolor in hypochondrio dextro situs est, et pressu multum augetur, et ad claviculam humerumque dextrum tendit. In hâc dolor circa sex-

tam vel septimam costam praecipue situs, et inspiratione, sed non pressu, augetur. In illâ decubitus in latus sanum difficilis; respiratio haud aequè ac in Pneumoniâ dolet; tussis sicca adest; vomitus et diarrhoea biliosa; singultus aegrè dicitur. In hâc autem decubitus in latus dolens difficilis, respiratio molestissima, et saepe non nisi corpore erecto exercenda; tussis plerumque humida saepe cruenta; nulla etiam diarrhoea vel vomitus biliosus adest.

Enteritis et Gastritis.—Signa his morbis propria, et ab signis Hepatitidis discrepantia in Enteritide sunt, pyrexia typhodes, dolor abdominis pungens, urens, et circa umbilicum torquens, pressu et inspiratione auctus, non ad humerum tendens. Pulsus parvus exilis et debilis; magna virium prostratio, et interdum delirium. Signa etiam gastritidi propria, sunt, pyrexia typhodes, dolor pungens, perpetuus in regione epigastricâ, et post pastum et pressu auctus; pulsus parvus, durus, et frequens; vomitus gravis ingesta protinus rejiciens; anxietas maxima; rubor quinetiam Ery-

sipelatosus in faucibus. His caeterisque signis hi morbi satis ab Hepatitide distinguuntur.

{ *Rheumatismus*.—Dolores rheumatici raro in uno et eodem loco manent; plerumque autem hic aut illic fluctuant, et cursum muscularum sequuntur; majorum etiam articulorum regiones praecipue adoriuntur, et corporis flexione plurimum exasperantur. Praeterea nec respirationis difficultis, neque tussis sicca, neque vomitus adest.

Icterus Calculosus.—In Ictero calculoso, dolor in epigastrio est spasmodicus, remittens, in uno tantum loco, et ad spinam, non ad humerum, tendens; motu et post pastum, non autem pressu, auctus; truncum etiam corporis antrorsum inclinando multum levatus. Omnia icteri signa porrò adsunt. Pulsus raro supra 100. Ubi calculus in duodenum transit, aut syncope aut ad syncopen proclivitas, stimulo subito amoto, saepe supervenit.

DE CAUSIS REMOTIS.

INTER omnes medicos recentiores constat, in omnibus regionibus calidis, iis praesertim, ubi calor fervidus et diuturnus cum humiditate conjungitur, vel illi frigus subito succedit, hunc morbum multo magis quam sub coelo temperato et mitiori, praevalere; hoc fortasse exhalationi per cutem suppressae, et secretioni fellis auctae forsitan acriori, ex copia sanguinis majore ad viscera interna, corpore frigori post calorem subito [objecto, devecta, factae tribuendum est. Hoc malum in India Occidentali et Orientali imprimis grassetur, et pauci quidem ex Europâ eò profecti aliquamdiu immunes effugiunt.

Calor, igitur, praesertim cum humiditate conjunctus, vel cum frigore alternans, inter causas praecipuas Hepatitidis praedisponentes locum primum habet.

Objectio corporis diurna soli ardenti, si

multis auctoribus fidem adhibeamus, potius causa Hepatitidis excitans haberi debet; quia tali ratione, sanguis velocitate et impetu maiore circumagitur, et volumine augetur, ideoque inflammatio Hepatis vel alias cuiusvis visceris inducitur. Abusus inconsultus potuum vinosorum vel ardentium in regionibus cunctis, at in calidis prae caeteris, ob eorum stimulum validum effectusque debilitantes quos in corpore edunt, causa hujus morbi vel praedisponebant vel excitans fieri potest.

Morbi praegressi, febres praesertim Remittentes, Intermittentes, et Biliosae; omnes denique morbi qui vel secretionem acrimoniamque bilis, vel impetum sanguinis hepar versus adaugent, inter causas numerari possunt: multi demum auctores inter causas Hepatitidis praedisponentes, aetatem proiectam, quosdamque status vel conditiones insignes aëris, diathesinque phlogisticam, enumerârunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

HAE sunt plurimae, inter quas eas causas primùm recensebo, quae, vi suâ stimulante, naturâque acri, volumen, momentum, vel acri-
moniam sanguinis ad jecur partesque vicinas demissi intendunt; hujusmodi sunt; magnus corporis calor; liquores stimulantes immodicè sumpti; acrimonia bilis nimia; acria in ventriculo vel intestinis; morbi praegressi, veluti febres Remittentes vel Intermittentes; Pneumonia; Dysenteria; Cholera; secretiones suppressae; pathemata mentis gravia vel subita, veluti ira vehemens aut metus; irritamenta mechanica, qualia sunt, laesiones externae, ictus vel contusiones regionis jecinoris; cranii et costarum inferiorum fracturae; calculi in ductibus biliaris haerentes; Concretiones solidae in Hepate ipso; frigus corpori repente admotum, &c.

Omnes causae supra memoratae acutam jecinoris inflammationem vel directè vel indirectè excitare observatae sunt.

PROGNOSIS.

Fausta.—Praesagium in acuta inflammatione Hepatis, pariter ac caeterorum viscerum, e lenitate aut vehementiâ symptomatum omnino pendere oportet. Faustum haberi potest, quum indicia omnia, remediis idoneis adhibitis, planè mitescunt; quùm pyrexia, dolor et tensio paulatim minuuntur; cùm circa diem tertium, quintum, vel septimum, diarrhoea biliosa copiâ haud parvâ accedit; quum urina sedimentum copiosum deponit; cum diaphoresis libera fit, et per corpus universum patet; quùm alvus secundùm naturam redditur; quùm profluvium copiosum e vasis haemorrhoidalibus fit, et demum quum aeger indies validior et sanior evadit.

Si haec, vel singula, vel plura simul juncta occurrant, tutò, quâdam certè ex parte, faustum prognosin edemus.

Infesta.—Contrà, quum pyrexia et dolor cum magna anxietate augescunt ; cum dolor remittens est, vel ad partem unam cohibetur ; quum venter pertinaciter astrictus est, et multum tumet ; quum singultus fit perpetuus ; quum partes extremae frigescunt, calore aliarum corporis partium simul aucto ; quum rigores cum calore alternant, et febris hectica accedit ; denique quum omnia symptomata alia gradatim ingravescunt, mortem cito finem miseriis aegroti inevitabilem posituram esse praedicimus.

RATIO MEDENDI.

QUONIAM Hepatitidi Acutae plurimae turbationes, vel mutationes in structurâ jecinoris succedere possunt ; et quum ista, nisi ad initium arceatur, ad suppurationem velocitè percurrere proclivis sit, ad remedia efficacia statim confugere, maximè interest ; et quoniam resolutio finis solus felix duci queat, ad eam inducendam medicus summis viribus nitidebet :

Detractio Sanguinis.—In omnibus exemplis, praesertim gravioribus, hujus morbi, ad sanguinis detractionem generalem, utpote quae sit remedium et validum et efficax, cui porrò maximè confidamus, sine morâ confugiendum est. Sanguis citò et rivo pleno detrahi debet, et copiâ majore vel minore, pro saevitiâ symptomatum, et viribus et aetate aegrotantis ; et hoc remedium, quoties signa morbi indicant, repetere licet. Quando aeger ob debilitatem sanguinis detractionem tolerare nequit, eundem topicè vel per hirudines vel per cucurbitulas cruentas admotas abstrahere proderit. In exemplis tamen mitioribus hoc remedium aliquando praetermitti potest, et purgantia plūs minùs adhibita, cum diaeta parca et refrigerante, ad signa inflammatoria tollenda, vel saltem plurimùm sublevanda, sufficere inventur.

Epispastica.—Vesicatoria regioni Hepatis apposita multum laudata sunt ; non autem nisi postquam indicia aliquantum sanguinis missione levata fuerint, usurpari debent ; citius

enim usurpata irritationem generalem verisimilitèr augebunt, et affectionem localem potius ciebunt quàm sedabunt. In iis exemplis, ubi idiosyncrasia vel causa alia quaevi usum meloës vesicatorii prohibet, Tartras Antimonii cum beneficio usurpatur. Fonticuli quoque et setacea a multis medicis laudata sunt.

Purgantia.—Haec in sanatione morbi de quo agitur apprimè utilia, et profectò necessaria sunt. Varia laudata fuere, at plerumque sales neutri, Jalapa, et Submuriæ Hydrargyri maximè in honore habentur. In India Orientali et Occidentali Submuriæ Hydrargyri ob ejus effectum in jecur specificum creditum, valdè aestimatur; multi quidem medici in his regionibus ei ferè soli confidunt. In Britanniâ, tamen, purgantia mitiora veluti sales medii, haustus salini cum Sennâ, Phosphas Soda et similia saepiùs et plerumque cum beneficio majore exhibentur. Purgantia drastica resinosa, potius ventriculum, canalemque intestinalium irritant, ideoque fortasse non tam bona invenientur.

Si Diarrhoea inter morbi decursum accidit, ferè nefas est eam compescere, vel astringentia valida, nisi planè et prorsus necessaria, exhibere, quoniam alvi conditio laxa plerumque optabilis est.

Diaphoretica.—Quoniam cutem saepe praeter solitum aridam et siccam et calidam inventimus, diaphoretica et sudorifica ad sanationem haud parùm conferre colligendum est. Ad diaphoresin eliciendam parvas quantitates Antimonii Tartarizati adeo ut nauseam inducant, exhibeamus. A vomitu cavere necesse est, in iis exemplis praesertim, ubi inflammatio superficiem jecoris convexam obtinet, ut concus-sionem omnem vehementem hoc inter et dia-phragma evitemus.

Pediluvium quoque prodest cum usu libero liquorum mitium, diluentium, et refrigerantium, quos vel mucilaginosos, vel farinaceos, vel subacidos, ad aegri libitum praescribere licet. Balneum calidum et nuperius balneum acidi Nitro-muriatici magnam famam adeptum est :

hoc autem fortasse in formâ hujus morbi vetustâ imprimis adjuvat. Fomentationes lateri affecto admotae ad inflammationem levandam conferunt. Exhibitio interna acidi Nitrici diluti, aut per se, aut cum acido Muriatico conjuncti, nonnunquam effectus optimos praestitit; at saepius et fortasse efficaciùs in Hepatitide Chronicâ usurpatur.

Ubi tumefactio evidens est, et tensio magna regionis Epigastricae, cataplasma emollientia aliquando haud parùm levaminis afferent.

Regimen antiphlogisticum item per morbi decursum strenuè praecipere oportet, praesertim cùm febris indicia urgent, et finem morbi per suppurationem minantur.

Symptomatis inflammatoriis vel per rationem medendi suprà laudatam vel per aliquam crisin naturalem superatis, parùm restat, in quo medicis elaborandum est, nisi ut convalescentem a causis morbi excitantibus incolumem praestent, quae multo magis metuendae sunt,

dum pars effectibus morbi recentis adhuc irritabilis perstat. In iis autem convalescentibus, quibus debilitas maxima accedit, saepe necesse erit ad rationem tonicam configere; et vinum, diaetamque pro ventriculi conditione plenissimam, cum Cinchonâ et amaris adhibere.

Si tamen hi conatus nihil valent, morbusque ad suppurationem percurrit, absorptionem puris omni modo promovere oportebit, per emetica, et usum Hydrargyri donec Ptyalis mus excitetur, etiam per ulcera sedi abscessus (quatenus cognosci potest) quam proximè arte facta, aut moxâ, aut ferro candente admoto. Huic curationi tamen non semper confidere fas est; si autem quovis casu felici aliquam fluctuationem, vel sedem abscessus veram detexerimus, tum tumor punctura aperiatur et pus eliminetur.

Denique in quibusdam exemplis, etsi summa peritia et animi attentio curationi adhibetae fuerint, indicia acuta solummodo superare valemus, et morbus in formam Chronicam abit.

Quoniam non mihi in animum venit hanc partem argumenti accuratè indagare, tantum memorabo, remedia in Hepatitis Chronicâ efficacissima doses esse Hydrargyri parvas et repetitas, adeo ut os modicè affectum per tempus idoneum teneatur ; Epispastica ; usum balnei et aquae de Cheltenham ; exhalationem per cutem promovere rationibus mitioribus, veluti, corporis exercitatione, pannisque laneis cuti proximè admotis, &c. ; alvum semper facilem tenere ; diaetemque attenuantem, nutrientem, et facilè concoctam usurpare. Porrò annotare liceat, coeli mutationem vitaeque genus parcum et temperatum interdum ad hunc morbum sanandum suffecisse, postquam medicina nihil omnino valuerit.

FINIS.

